DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
VARIOLIS,

QUAM

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Autoritate Magnifici D. Rectoris,

JOHANNIS van MUYDEN,

J. U. D. Ejusdemque Facultatis in Inclyta Academia Ultrajectina Professoris Ordinarii, Cameræ Justitiæ, quæ est Diœceseos Vianensis, Senatoris

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissimæ Facultatis MEDICAE decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

JACOBUS VANDER STRATEN, Mediob. Zelandus.

Ad diem 28. Junii, *hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina GUILIELMI vande WATER, Academiæ Typographi. cIↄ Iↄ ccxiii.

VIRO. GENEROSISSIMO.

D. IOANNI. HIERONYMO. HVISSEN.

I. V. D.

VRBIS. MEDIOBURGENSIS. CONSVLARI.
SOCIETATI. INDIÆ. ORIENTALIS.
PRÆPOSITIS. ADSCRIPTO.
QVOD. ATTINET. PARTES. ZELANDIÆ.
TOPARCHÆ. IN. VETERI. ET. NOVO.
VOSMEER. ETC. ETC. ETC.
PATRONO. PERPETVVM. COLENDO.

NEC. NON.

VIRO. SPECTATISSIMO.

D. GEORGIO. VANDER. STRATEN.

VRBIS. CVLEMBVRGENSIS. SCABINO.
PARENTI. OPTIMO. INDVLGENTISSIMO.
PER. OMNEM. ÆTATEM. VENERANDO.
HOC. QUICQVID. EST.

SPECIMEN. INAUGURALE.

D. D. D.

IACOBVS. VANDER. STRATEN.



DISPUTATIO MEDICA *INAUGURALIS*, DE VARIOLIS.

PROOEMIUM.



Hominis Sublunarium omnium facile Principis, illud est fatum, quod in diffusis mundi hujus angulis, totoque Regionum vario nexu nihil reperiatur, quod magis adversitate sua premi voluerit Natura naturans, quæ ex ipsa propemodum calamitatum gravitate, & numero ponderari voluit Creaturæ hujus supra reliquas præeminentiam: Illum quam primum in lucem prodiit, tanquam naturali satellitio, mille stipant mala, hæc puerum excipiunt, Juvenem infestant, occupant virum, ut pauci numerentur, qui in senectam serventur, nec ab hisce opprimantur. Et vero (nec crepidam transcendamus) quam infinita hanc lacessunt morborum genera, quibus enumerandis, neque sufficit hactenus plurimis voluminibus prisca antiquitas, neque sufficiunt etiamnum Neotericorum magna ingenia quorum ferax est ævum nostrum: Quin alios in dies, aliosque optima verum Magistra Experientia, nec antea visos reperiri demonstret: non jam animus est ad stateram suspendere exoticos, quibus in Divinæ ultionis argumentum excipi, quandoque humanum genus perhibent, Historiæ in Herodibus, Ascalonitis, Agrypnis,

Antiochis, Valentibus, Copronimis, aliisque quam plurimis, neque illos, quos inter variores ponunt Medicorum Catalogi, sed Catastrophen exhibunt variolæ, morbus, qui mortales premat pene universos, licet communissimus, sævus tamen admodum, & violentus: Equidem si in Republica illum feralem hostem fas sit appellare, qui Provincias, Regna, ac ipsam sedem Regiam promiscue depopulando, ac evertendo, cruditatis suæ æterna vestigia post se reliquit, quidni convenienti analogia variolas, ut hostem ferociorem acrius perstringamus, quippe, qui Regiam hominis exteriorem sedem, nunquam scilicet satis admirandam humanæ faciei structuram, crudeliter devastant, & in iis quas passim fodunt, roduntque cavernis sui post se memoriam relinquit perennem, & detestabilem ab eo potissimum sexu, cui florentissimus decor præ omni alio, quod concessit Natura, in pretio est: Audet Crudelis hic humani generis hostis in ipsa Microcosmi sidera insurgere, oculos putamus, his infert lippitudines, imo interdum mæstissimam luminis Eclipsim, miseriarum sane omnium triste compendium: Illas vero malorum species, quisnam omnes enumeret? Quas interiores affligendo partes, haud varo post se trahit, quod omnium est maximum, feralis hic hostis, nostra etiam memoria rapuit Regnorum, & provinciarum Augusta, Serenissimaque Capita, quæ enumerare hic loci mittemus; nam animus proinde est variolas, ceu hostem hominum Communem ea, quam disquisitioni subjicimus, Dissertatione Inaugurali explorare. *DEUS Ter Optimus Terque Maximus Nostro Labori Benedicat!*

THESIS I.

Dissertationem de Variolis tractaturi recta methodo, quid nominis illæ & quid rei sint, præmittemus paucis. Variolæ autem dicuntur quasi parvi vari, qui terminus Pathologicus antiquis fuit incognitus, vel etiam a variando, quoniam corpus cum facie varient: Græcis olim sub nomine ἐξανθημάτων (quibus pustulæ eminentiores in cute erumpentes significantur) appellata fuisse patet ex *Galeno* 3. *Epid. Comm.* 3. *Tit.* 51. Belgice hic affectus nominatur *de Kinderpockjens*, German. *die Blättern*, *vel Pocken*, Gall. vocantur *les petites varioles*, *la picote*.

II. Variolæ sunt efflorescentiæ instar pustularum, & sunt albicantes

cantes brevi tempore & ſtatim tunc fiunt rubræ, vel ſunt parvæ maculæ inter cutim hærentes, uti alii volunt; Etiam nominantur hæ puſtulæ parvæ ulcuſculæ in cute repleta acri corroſivo pure, quæ raro ab extra Natura ſeſe aperiunt, ſed aliquando arte aperiuntur, ideo etiam Cutim lædunt, & ipſi relinquunt horrendas foveas, unicuique viſu terribiles: Notum autem eſt malum hoc certis temporibus anni morbum eſſe Epidemicum, jam vere, poſtea æſtate & etiam hyeme, aliquando gravius nunc levius, & minus periculoſum: Imo aliquando ſolummodo morbus infantilis, quam ob rem nominatur Belg. *de Kinderpockjens*: Alio iterum tempore ab hoc malo Juvenes atque adoleſcentes corpore robuſtiores, atque firmiores corripiuntur: Aliquando etiam morbus eſt ſenum, uti Authores in eorum obſervationibus teſtantur & ſæpius experti fuerunt.

III. Differunt autem inter ſe variolarum ſpecies, ſecundum ipſam humorum varietatem in ſubſtantia, quantitate, qualitate, & excernendi modo: ſecundum ſubſtantiam, aliæ ex bilioſo, aliæ ex melancholico, aliæ ex pituitoſo, ſeroſoque humore conſtant; ſecundum quantitatem aliæ magnæ, multæ, profundæque, aliæ parvæ paucæ, ſuperficiales: aliæ ſunt diſtinctæ, aliæ confluentes, quæ licet eſſentialiter ut ajunt, non differant, per illuſtriora quædam ſymptomata, quæ hanc comitantur ſpeciem, illam vero non item haud difficulter ab invicem diſcriminantur: Secundum qualitatem differentiarum ratione variationis inveniuntur variæ, aliæ albæ ſunt, aliæ rubicundæ, ſubflavæ, lividæ, violaceæ, ſubnigræ, variegatæ &c. pro humoris ex quo conſtant varietate, ſeu diverſitate: Aliæ, iterum duræ ob materiæ craſſitiem, & cruditatem, aliæ molles ob materiæ aquoſitatem: Ratione excernendi modo; primo, tempus, quo excernuntur conſiderandum, differuntque ea conſideratione, quod aliæ cito, & cum impetu, aliæ lente & paulatim erumpant, aliæ rurſus diu durent, & tardius diſſolvantur, aliæ citius evaneſcant: Secundo, locus excretionis, ſive locus, in quo erumpunt, aliæ enim externas ſolummodo partes, principaliter autem faciem, manus, & pedes occupant; aliæ vero in internis erumpunt, ſuntque hæ vel evidentes, vel occultæ: Evidentes ſunt quæ in oculorum palpebris, in naribus, in palato, lingua, faucibus &c. conſpiciuntur: Occultarum autem ſeries, eſt, quæ aſperam arteriam, pulmones, jecus, Lienem, inteſtina, renes, uterum, aliaſque partes internas afficiunt.

IV. Tempora variolarum ſunt quatuor (1) Ebullionis, ubi maſſa ſanguinea occupata eſt in ejicienda materia peccante ad latera cutis, in hoc ſtatu obſervatur pulſus magnus, & vehemens, æſtus ſummus, dolor capitis, dorſi, lumborum, anxietates præcordiales, palpitationes cordis, narium pruritus, tumor, & rubor oculorum, tuſſis ſicca, vomitus, lypothymiæ, motus convulſivi.

(2) Eſt tempus eruptionis, (quæ plerumque tertio die fit, & ſi tunc non obſervatur infantes ordinario quinto moriuntur die) ubi ſymptomata aliquo modo remittunt, & maculæ rubræ apparent, quod fieri ſolet viginti quatuor horarum ſpatio poſt invaſionem; Notum quoque eſt hunc morbum nunquam, vel raro provenire absque febribus, ſive magnis, ſive parvis, etiam hunc morbum primis diebus non differre a morbillis, nempe primo proveniens parvis elevatis maculis rubeſcentibus: Quam ob rem Practici facile falluntur judicando; an erunt vel variolæ, vel morbilli; quare (ſi mihi venia data ſit) unicuique ſuadeo judicium ſuum proferre in diem quartum, vel quintum, donec maculæ ſeſe in Lucem edere incipiunt, nam morbilli plerumque tertio die incipient evaneſcere, & variolæ tunc primo fiunt proeminentes: Febres in utriſque affectibus imminuuntur, quæ plerumque per duos, vel tres dies eos fortiter affecerunt, præſertim ſi impetum faciunt in homines robuſtiores, & ætate nondum advectos.

(3) Dicitur effloreſcentia, quod contingit quarto, vel quinto die, & tunc promovere debet medicus expulſionem, ſuppurationem, aſt dolor aliquomodo ſiſtendus: Multum autem differt an citius, an tardius incipiunt effloreſcere hæ maculæ, etiam magna eſt differentia in quo cœlo hic morbus furit: In calidis regionibus citius ſeſe oſtendit quam frigidis, vel temperatis, uti Autores volunt: Etiam effloreſcentia multum differt ſecundum diſſimilem ſtructuram cutis, ejuſque craſſitiem.

(4) Eſt defloreſcentia, ubi Cruſtæ, & Eſcharæ decidunt, & exſiccantur, hoc plerumque fieri ſolet decimo quarto, vel vigeſimo die.

V. Quod variolarum attinet cauſam principalem, & proximam de ea intricatæ ſatis leguntur apud Autores diſceptationes, adeo diſſonantes, ut quid ſtatuendum ſit vix appareat: præſertim cum ejuſmodi rationibus, & fundamentis nitantur, quæ non facile everti poſſe videntur, ut eam ob cauſam merito exclamare liceat cum *Virgilio:*

Felix,

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

In eo quod omnes convenire videntur cum variolis omnes homines ſint obnoxii, communem aliquam cauſam ſecundum *Hipp. lib. de nativ. hum.* eſſe inquirendam. Ad aërem ergo, qui ad vitam omnibus ſumme neceſſarius eſt, & inevitabilis malignam quandam, & occultam qualitatem communem hanc cauſam aliqui referunt. Epidemicus enim cum hic ſit morbus,& per contagium in plurimos diſſeminetur annos cum plures ſileat, & certis annorum Intervallis ſævire, rurſus incipiat, imo peſtem nonnunquam vel antecedat, vel ſequitur (*verba ſunt ingenioſiſſimi Fernelii*) unde *&* *a Rhaſe libro huic morbo dicato*, peſtis nuncii variolæ dicuntur, vix alia cauſa quam inſignior aëris corruptio a certis aſtrorum influentiis aſſignanda videtur. Aërem autem cauſam eſſe procatarcticam hujus morbi, nullum amplius ſuperſit dubium, quoque verum eſt res præternaturales ad hunc pertinere morbum, de quibus ulterius: Sed præcipua cauſa eſt aër, & quandoque unica, quæ ſanguinem noſtrum diſponit ad maximam iſtam ebullitionem in corpore noſtro promovendam, ex qua variolæ oriuntur: addere & hoc licet ex *Nobiliſſ. Dn. D. Sebizii Diſput. 4. de variolis, & morbillis* ſtante *Fernelii* placito, ſequeretur omnes variolas fieri per ebullitionem corruptivam, quoniam venenatus aër ſanguineam Maſſam corrumpit: Quænam tunc materia illa ſit, quæ in aëre prædominium habet quando hoc malum morbus eſt Epidemicus, adhuc in obſcuro eſt, hoc tamen notum eſt, quod in peſte venenum aliquod aëri ſeſe communicat, & non ſolum infantes, ſed etiam homines ætate provectiores inficit: Aliquando ſenes, quandoque homines hunc morbum paſſos, tamen venenum hoc nunc mitius, nunc fortius homines cruciat, tunc multi huic morbo vitam cum morte mutant, tunc vero pauci: Aërem repletum eſſe millenis particulis hæterogeneis, quæ ſeſe aëri ex vaporibus telluris communicant, unicuique notum, & particulas iſtas tranſire poſſe ad ſidera longe a ſe invicem remota, non innoteſcit. Nunc autem facile concipere poſſumus, particulas iſtas, in quibus venenum illud variolarum conſiſtit, ſeſe abdere poſſe in veſtibus, in Lanis, & aliis materiis, quæ ab uno loco in alium transferuntur, & ſic tellurem iſtam hoc morbo afficere, quod unusquiſque mihi concedet in peſte fieri: Nunc vero morbus iſte conſiderandus eſt, tanquam peſtis in minori gradu; Si quis conſiderat in quibus partibus morbus iſte communicationem habeat cum alio iſto

morbo;

morbo; Differentia tantum confiftit, vel in majori, vel in minori, & variolæ repugnant pefti, ficuti Morbilli variolis, nempe, fi variolæ nulla graviora Symptomata fecum ducunt: Nam nonnullæ funt obfervationes Clariffimorum auctorum, quæ mentionem agunt, variolas tragœdiam fuam extraordinarie egiffe, & fere tot homines, ad interitum redigiffe, tanquam peftis uti *Celeberr. atque Doctiff. Dn. Dn. Sydenham. obf. habet pag. mihi* 274. *&* 275. *de variolis iftis peftilen. anno* 1674. *&* 75. *&c.* atque multi alii: Prout ergo ab hac aëris conftitutione M. S. plus minus alteratur, & ad putredinem difponitur, eatenus variolæ nunc plus, nunc minus obfervantur malignæ, & periculofæ: *Conf. obferv. Forefti lib.* 6. *obf.* 44. ubi ante centum annos difpofitio aëris humida, tepida &c. Similem graffationem variolarum per totum Belgium intulit: Nonnullorum quoque eft opinio, quoniam plurimi homines hifce puftulis, fed potius ulcufculis femel afficiuntur, caufam variolarum effe fanguinem menftruum, infantes in utero materno contaminantem, quæ contaminatio nunc citius, nunc tardius & tandem a fanguine rurfus depellitur, & ad cutim dimittitur, uti putant; Nam primo notum eft corpus humanum, pofitis omnibus divifionibus ab ipfo exiftentibus, plurimum confiftere in nominatione partium folidarum, & fluidarum, & ambas iftas confiftere in continua mutatione particularum, quæ fit per tranfpirationem, & iterum acrefcere ab aliis, loco avolatarum, incrementumque illud fieri cibo, & potu, fine quibus vita confiftere nequit: Magnus ifte *Cancellarius Digby* recte annotavit quando mentionem agit de refurrectione, in Doctiffimis iftis Annotationibus *Tractatus Doctoris Brouws Religionis Medici*; Nos (ftricte fic dicto) dicere non poffe corpus illud poffidere, quod ante viginti annos habuimus, quoniam quotidie parvis particulis, quæ a nobis fecedunt, & in quarum loco, nutritione rurfus aliæ particulæ fefe infinuant, de materia mutare. Non invenufte ait, nos, nofmet ipfos quotidie comedere, hoc eft cibo, atque potu continuo chylum accipere, & ab ifto chylo rurfus alias partes: quoniam quotidie a parvis iftis particulis inutilibus mutamus, in quibus corporalis noftra diftentio confiftit? Nunc autem nullo modo complectendum eft, quomodo talis materia venenofa in latebris corporis humani per tot annos maneret, donec tandem tempus inveniret, aërem fecum ducere contagium aliquod, quod ipfam materiam juvaret ad fermentandum; unde tales horribiles puftulæ ad cutim mittuntur.

tuntur. Aſpiciamus ſemel quomodo contaminatio fieri poſſet in utero materno. Notum eſt, fœminas primis tribus menſibus poſt conceptionem magnam quantitatem ſanguinis in utero colligere, deſtinatam menſtrue deponere: Nunc quidem comprehendendum eſt iſtum ſanguinem, de quo parva adhuc tantum portio addicitur accretioni fætus magnamque quantitatem corrumpere, quare fæminas ſæpiſſime circa tempus trium menſium abortiuntur. Poſſibile quoque quidem eſt quantitatem hujus corrupti ſanguinis tranſire poſſe ad fætum contaminandum: Sed quando (hoc non obſtante) fætus porro ad novem uſque menſes forte, atque robuſte adoleſcere pergit, tunc ſtatuendum eſt contaminationem nullius eſſe momenti, non ſolummodo brevi poſt editionem Creaturam talibus horrendis ulceribus contaminare unde vita ſub ictu eſt, multo minus poſſibile eſt, hoc multos poſt annos fieri poſſe. Scio quidem mihi objici poſſe, hic ſolummodo præſupponi materiam tantum moveri ad fermentandum per appropinquationem alius rei ab extra; Sicuti ab aëre contagioſo, vaporibus aliorum variolis laborantium, vel ab aliis cauſis: Sed tunc demonſtrandum eſſet ubinam materia iſta tamdiu perſeveraret: In continentibus, vel in incontinentibus partibus, in ſolidis, vel fluidis humoribus, vel in inteſtinis, vel in quibuſvis partibus internis, quomodo autem tunc poſſibile eſſet materiam iſtam non ab aliis rebus contagioſis ad fermentandum inclinare, & ſic multos alios morbos contagioſos producere. Quamvis enim non concedamus ſanguinem menſtruum, quem aliqui volunt, neſcio cujus veneni participem eſſe, ſed ut recte *Galen.* 5. *Epid. comm.* 3. *t.* 53. *docet.* Meliorem ſanguinem ad ſe trahere nutrimenti cauſa fœtum, deteriorem autem relinquere, unde prægnantem pravis humoribus impleri, quos in partu natura evacuat, ſtatuamus. Neque impuritates illæ ſanguinis materni ipſam matrem inficere poſſunt, in eaque ſimiles generare affectus, quamvis dictum fuerit ab *Hipp. lib. de nativ. puer.* tres eſſe partes in ſanguine unam puriſſimam, qua nutritur fœtus, alteram impuriorem, qua nutritur mater, & tertiam impuriſſimam, quæ in venis uteri aſſervatur toto geſtationis tempore, & poſt partum per Lochia expurgatur, & ſic exinde videndum eſt ſanguinis malignitatem ibi a ſe invicem ſecerni, & ſubtiliorem tranſire ad fœtum, & impuriorem remanere, ex quibus nullo modo concludendum ſit ſanguinem menſtruum cauſam eſſe variolarum.

VI. Ut in omni morbo propemodum feliciterque curando plurima ratio ſita eſt, ſi ex diagnoſi, maturitate medicaminis periculum prævertatur, ita variolæ perniciofis ſuis humoribus quo minus feriant, multum intereſt ex diagnoſticis ſignis eas providiſſe: Signa autem ea tum imminentium, tum præſentium ſunt ſequentia; Ante omnia conſiderandum eſt, an in urbe, vel Regione, ubi habitamus multæ ſunt variolæ regnantes, & an patientes, qui queri incipiunt morbum hunc unquam paſſi fuerint, licet tamen experientia docet quoſdam fuere bis, vel ter paſſos: Uti *Borellus Exemplum habet Cent.* 3. *obſ.* 10. de muliere quadam, quæ ſepties variolas paſſa fuit, & tandem anno ætatis ſuæ, 118. his ipſis variolis mortua: Si nunc hic morbus ubique regnat, tunc modo febri quadam ſciendum eſt hunc morbum inſtare; ſi tamen non Epidemica eſt, vel ſi patiens modo hunc morbum paſſus fuit, tunc minus ſoliciti eſſe debemus: Veritas autem hujus morbi ſequentibus patebit: primo febris adeſt irregularis, aliquando vehemens, aliquando vero valde debilis, raro autem ejus incrementum, vel decrementum certis temporibus ſentiamus, in momento patientes quaſi ſunt calidi, alio iterum momento rurſus ſine externis cauſis temperati imo frigidi. Secundo, dolor capitis vehemens, & hoc ſignum adeo manifeſtum eſt, ut ſolummodo (ſi nempe febricula continua adeſſet) fere conſiderare poſſemus variolas inſtare. Tertio, ad ſunt Lypothymiæ, oſcitationes, palpitationes cordis, magnæ anxietates, & inquitudines. Quarto, nauſea, vomitus, licet ventriculus, & primæ viæ paulo ante purgatæ fuerunt. Quinto, diverſa adhuc ſigna ſunt diagnoſtica ſecundum differentias temperamentorum: Aliquando adſunt ſomnolentiæ graves, terrores in ſomno, ſomnia horribilia, deliria, tremores, convulſiones, ſternutationes continuæ, ardores, & rubores; Aliquando etiam adſunt dolores punctorii in toto corpore, lachrymæ involuntariæ fluunt, ſplendores oculorum, pruritus, tumores faciei cum rubore, quæ omnia fiunt, vel a vaporibus in quantitate, vel qualitate excedentibus, per ſanguinis ebullitionem in caput, diaphragma, aliaſque partes tranſmiſſis, vel ab ipſa variolarum materia invadente: Sexto, ex Excretis erit urina ſanorum urinis non diſſimilis, (omnis enim materia vitioſa ad ambitum corporis propelli ſolet) ob magnam autem humorum ebullitionem, interdum turbidæ apparent: Ex qualitatibus, mutatio adeſt quoque faciei, & oculorum rubor, vox rauca, oris ſiccitas, corporiſque plerumque univerſi aſperitas.

VII. Va-

VII. Variolarum eventum Prognoftica figna præmonftrabunt, quæ triplicia: Alia falutarium, quæ mortis nullum periculum: Alia periculofarum, quæ ipfam mortem præfagiunt: Salutares effe confueverunt variolæ, in quibus febris levis eft, quæque poft exitum variolarum ceffat, aut admodum imminuitur, in quibus libera vox, refpiratio facilis, ut & illæ, quæ primum rubræ, albæ, molles, diftinctæ, paucæ, rotundæ, folas partes externas, non autem internas afficientes: denotant autem hæc omnia materiæ morbificæ benignitatem, paucitatem, obfequium, naturæque robur: Periculofas autem effe portendit, fi tarde appareant, materiæ enim contumaciam, & naturæ imbecillitatem illæ demonftrant: Si nigræ autem appareant infignem oftendunt malignitatem, fi magnæ, multæ, duplices, hoc quantitatem materiæ: Si nunc maculæ iftæ conjunctæ funt febribus purpureis, præcipue fi funt nigræ, vel lividæ, item fi hæmorrhagiæ adfunt, indicant fanguinis acrimoniam, atque malignitatem, quæ naturam vehementer irritant, & ad præpofteram illius excretionem compellunt: Si urinæ, atque fœces funt nigræ, fi febris ingens adeft, & non imminuitur poft eruptionem, fi anxietas, magna inquietudo, refpirandi difficultas, quæ fi augeatur plerumque mortem prænunciat, fi fitis ingens, fignificat autem humores malignos, atque venenatos nondum fatis ad cutim effe propulfos, fed in corpore adhuc, vel in M. S. maximam eorum partem reftitiffe, atque ebullire. Indicium quoque eft, fi internæ partes afficiuntur variolis, uti pulmones, inteftina, fauces, jecur, vefica, diaphragma, quæ aliquando æquali clade a variolis corrumpuntur; *Ingeniofiffimi Fernelii hac de re exftat teftimonium, qui lib. 2. de abdit. rer. cauf. cap.* 12. fe obfervaffe fcribit in quibufdam a morte diffectis, jecur, lienem, pulmones, omniaque inteftina haud fecus, atque cutim fordidiffimis papulis infecta: Id quod etiam *Paræus lib.* 19. *cap.* 7. affirmat: Nimirum quando ob materiæ, vel copiam, vel malignitatem intra corpus, impuritates retinentur: Unde fæpe fyncope, exitiofa Dyfenteria inteftinorum dolor, & fimilia fymptomata conjunguntur.

Lethales variolæ funt virides, lividæ, & nigræ, quæ ex bile porocea, vel atra generantur, omnium peffima, quæ ubi egreffæ funt, ftatim evanefcunt, tumorque partium remittit; Eorum enim quibus ifta receffio contingit, nullus evadit, fed ut plurimum poft viginti quatuor horas vitam cum morte mutant: Urina fanguinea,

 feu

seu mictus cruentus in variolis quasi lethalissimum, uti etiam si sanguis purus, & sincerus supra, & infra excernatur nunquam evadunt mortem, notantibus *Forest. lib. 6. obs.* 45. *Schenk. lib. 2. observ. pag. mihi* 761. *Sydenham. de variolis confluent. pag.* 13. *&* *obs. morb. acutor. pag.* 182. *&* 212, *item River. prax. lib.* 17. *sect.* 3. *cap.* 2. *&* *cent.* 1. *observ.* 71. *Salmuth. cap.* 2. *observ.* 70. *M. N. A. C. ann.* 3. *observ.* 76. *unde* *&* *Hoechstedt. dec.* 1. *cas.* 7. 8. 9., non tantum urinas cruentas seu sanguinem per urinam, sed omnes omnino sanguinis tam per superiora, quam per inferiora dejectiones lethales offert.

VIII. Variolarum curam quod attinet, hisce omnibus, & singulis, cum ex triplici remediorum fonte, Chirurgico scilicet, & pharmaceutico, & diætetico satis fieri possit, omnia autem alia remedia, quamvis generosa, irrita sint, nisi vivendi ratio, quæ sex rebus non-naturalibus continetur, accommodata adjungatur (verba sunt *Galen. lib. de diff. febr. ult.*) a posteriori scilicet diætetico curationis telam ordiri placuit. Ut ergo cura præfixo ordine feliciter, cito, tuto, & jucunde instituatur, fons Chirurgicus primus erit, qui salubre, imo saluberrimum, quandoque hoc in affectu ex scaturigine sua ad medicorum manus suppeditat auxilium, phlebotomiam nimirum, a qua bene ut fiat cura inchoanda; Si tamen eam ægrotantis ætas & plethora aliqualis perferre posset, quod si medicus primo morbi die non fuerit vocatus utiliter nihilominus vena secari poterit, atiamsi variolæ apparere incipiant, quod tempus ad quartum usque diem a qua febris invasit, extendi potest: observandum tamen est, quam salubrem prædicavimus venæ sectionem in patiente plethorico variolis laborante, tam periculosam fere esse in benignioribus sine plethora: Si enim pustulis erumpere incipientibus, febris imminutio, symptomatumque remissio subsequatur, satius est totum negotium naturæ bene operanti relinquere, quæ totam materiam morbificam ad cutem sufficienter expulsura est. Verbo: in variolis ebullitione mere depurativa, vena secanda non est, in corruptiva vero venæ sectio maxime necessaria, (etiam in ea, quæ minoris malignitatis particeps) ita quidem, ut tertio & quarto die missio sanguinis usurpetur: In iis autem pueris, qui paulo adulteriores, unica phlebotomia interdum non sufficit, sed erit iteranda, si febris intense perseveret, vel delirium, aliudve grave symptoma urgeat: Verum enim vero, si Phlebotomia propter ægrotantis ætatem tenellam fieri non possit, vel tempus idoneum transactum

fuerit,

fuerit, scarificatio utiliter adhibebitur appositis cucurbitulis dorso, scapulis, & femoribus, motus enim naturæ a centro ad peripheriam per eas adjuvatur, hinc fit ut in statu etiam conferre possint: Caveat autem sibi Chirurgus in puerilis præsertim a scarificatione profunda, ne sanguis fervidus, & ebulliens venulis discissis toto impetu per vulnuscula effluat, difficulterque cohiberi possit.

IX. Fonte Chirurgico itaque perspecto progrediamur ad Pharmacaciam, quæ multo uberior, infinitisque fere medicamentis ditior est, fonte Chirurgico, illa enim est, quæ ex triplici suo Regno, quasi rivis suis desumit medicamenta, ex Regno nimirum animali, vegetabili, & minerali, eaque vel simpliciter, vel spagyrice præparata dispensat, ut purgantia, vomitoria, alexipharmaca, diaphoretica, diuretica, anodyna, &c. ex quibus omnibus principaliter in hac nostra variolarum curatione, quatuor considerantur, purgantia nimirum, vomitoria, alexipharmaca, & diaphoretica: Utilissimum hoc in affectu ante eruptionem, & antequam febris incandescat purgatio (princidaliter post venæ sectionem) instituitur. Tunc enim si adsit Cacochymia utiliter ea purgatione imminuitur, ut natura postmodum alacrius expulsionem moliatur; at vero variolis apparere incipientibus purgatio instituta, est perniciosa. Tunc enim si maxima vigeat malignitas, ut in constitutione Epidemica, quando plurimi pueri ex morbo intereunt, melius est omnino a purgatione abstinere, quia in morbis valde malignis, & pestilentibus purgatio in principio morbi instituta valde noxia est; Fit enim motus motui naturæ contrarius, nempe a peripheria ad Centrum, unde etiam fit, ut quibuscunque variolis laborantibus, alvi fluxus contingit, recessioque variolarum repentina mors utplurimum consequatur, ut dictum in prognosi: Si quæ tamen purgatio instituenda erit ex medicamentis, blande operantibus, *rhabarbaro*, scilicet, *Cassia*, *Manna*, *Tamarinde*, *Syrupo rosaceo &c.* quibus tamen præferendam judico potiunculam sequentem, quæ pro ægrotantis ætate, & natura in dosi sua augeri, vel imminui potest.

℞. *Extract. Rhabarb.*
Nitri Cryftall. aa. ℈ß.
Resin. jalapp. pineolat. gr. ij.
Syrup. rosar. solut. ℥ij. *Misce.*

Probe, & adde aq. scord. ℥ß. detur ad pyxid. sign.

Exhibentur, & laudantur quoque post venæ sectionem loco pur-

 gantium.

gantium vomitoria, *ex infusione croci metallor.* ℥j. *vel* ℥iß. *vel vini Emetici*, iij, *vel* iv. *cum aqua scordii*, *fœniculi*, *fumariæ*, vel aliis appropriatæ. ℥ß. *vel* ℥j. vel etiam aliud Emeticum. Nota si alvus induratione variolarum adstricta sit, non irritari, sed solicitari blandissime poterit, idque suppositoriis sine sale ex solo melle, urgente autem necessitate, si suppositoria ad laxationem alvi non sufficiant, secure, & cum sperato successu enemata fieri, & applicari poterunt ex lacte, jusculis, aut decocto *hordei*, *passularum*, *liquiritiæ*, *&c.* vel melius secundum formulam sequentem.

℞. *decoct. emoll.* ℔ß.
ol. lini recent.
Syrup. rosar. solut. aa. ℥ß.
Nitr. cryst. ℈j.
Vitell. ovor. recent. n. 1.

Misce, & fiat Enema.

Nunc autem post evacuationes per venæ sectionem, & purgationem per superiora, & inferiora, (si necessariæ fuerunt) variolarum expulsio adjuvanda, & propellenda est, idque remediis specificis, diaphoreticis, sed refracta dosi, & alexipharmacis, præcipue si Epidemicæ fuerunt, summæque malignitatis periculum portendant: Decoctum huic morbo appropriatum, quod si necessitas urgeat, habeatur pro ordinario, fiatque ut sequitur.

℞. *Rad. Liquirit.*
Acetos. aa. ʒij.
Scorzon. ʒj.
Hordei mund.
Lent. aa. ℥ß.
C. C. raspat. ℥ij.
Caric. ping. n. iij.
Passular. major. excort. n. xx.

Coquatur cum aq. font. ℔. viij. ad unius consumptionem, decoctum frigefiat, & pro usu decantetur. Cum successu quoque hoc in affectu ægrotantibus exhibetur pulvis sequens.

℞. *Specif. ceph. D. M.*
Pulv. Pannon. rubr.
Antim. diaph.
C. C. philos. ppt.
Nitr. cryst.

Matr.

Matr. perlar. aa. ℈j.
Lap. Bez.
Unicor. marin. aa. ℈ß.
Fol. auri fin. n. iß. *M. F.*

Pulvis, hic principaliter in principio febris conducit, & prætерquam, quod febris malignitati resistat, eruptionem promovet: Sequens quoque pulvis egregium præstat usum, atque omni resistit malignitati.

℞. *Rad. contraj.* ʒij.
C. C. philos.
Antim. diaph.
Succin. albi ppt.
Corall. rubr.
Lap. cancror.
Terræ Lemniæ veræ.
Unicorn. foss.
Pulv. viperar. Italicar. aa. ʒj.
Ol. citri veri gt. v. *vel* vj. *M.*

Fiat pulv. dos. est augenda vel imminuenda pro ætate subjecti, v. gr. a gr. vj. ℈ß. ad ℈j. & ʒß..

Cum autem pro pulveribus assumendis requiratur vehiculum, sequens Julebus exhiberi poterit.

℞. *Aq. Scord.*
Flor. Samb.
C. B.
Fumariæ aa. ℥ij.
Confect. alkerm. incompl. ʒij.
Syr. acetos. citri ℥j. *M. D. S.*

In hujus affectus principio, dum febris urget, præcipue emulsiones mirificæ sunt efficaciæ, quam ob rem sequentem subjungere volui.

℞. *Sem. 4. frigid. maj.* ℥ß.
C. Mar.
Napi aa. ʒiß.
Amygd. dulc. excort. ℥ß. *fiat.*
Emulsio L. A. cum aq. Scord.
Fumariæ.
Samb. aa. ℥ij.

Colat.

Colat. adde C. C. phil. ppt.
Unicor. Marm.
Antim. diaph. aa. ℈j.
Sacch. alb. ʒiß. *D. S. Em.*

Pro quatuor, vel sex dosibus.

Plures quidem adjungi possunt formulæ, quas tamen brevitatis gratia omittens, moneo Medicamenta supra dicta non omnibus variolis laborantibus esse applicanda: Interdum enim tanto impetu erumpunt ut eorum motus aliquantisper sit cohibendus, & maxima ebullitio, fervorque sanguinis immodicus nisi temperentur ad exitum ægrotantis morbus finitur, ideo modice refrigerantibus utendum pro exemplo julebus hoc modo componi potest:

℞. *Aq. acetos.*
Tortnentill.
Scabios. aa. ℥ij.
Syrup. acetos. granator. aa. ℥ß.
Conf. Alk. incompl. ʒiß. *M.*

F. Julebus pro quatuor, vel sex dosibus mane, & vesperi sumendis, ut & plura hujus generis, quæ continuanda erunt, usque dum fervor aliquantulum remiserit, postea vero ea, quæ expulsionem promovent ad manus sint, si horum auxilio Natura indigere videatur.

X. Hucusque de Cura variolarum universali partium affectarum externarum, jam autem paucis enarranda ea, quæ ad præservationem, & Curam (si qua opus sit) particularem partium pertinent: Sunt autem inter partes, quæ a variolis læduntur, internæ præprimis, & maxime propter periculum internecionis necessario præservandæ. Hinc Medicus a morbi principio utatur *decocto lentium*, *laccæ*, *tragacanthi*, quæ Intestina, Jecur, Lienem, Pectus, & reliqua universaliter præservant: Specifice vero Pulmonem contra variolarum invasionem defendunt, *Conserva rosarum violarum*: *Syrupus de jujubis*, *violaceus*, *myrtinus*, *de Rosis siccis*, *de papavere erratico* &c. tunc etiam Eclegmata sequentia a Clarissimo Riverio laudata, e. gr.

℞. *Lent. excort. & subtiliss. tritarum* ʒiij.
Sem. pap. alb. ℥j.
Conserv. rosar. rubr. ℥ij.
Syr. rosar. siccar. q. s. fiat.

Loch.

Loch. vel.

℞. *Syrup. jujubin.*
Violar. purp.
De rosis siccis.
Papav. alb. vel errat. aa. ℥j.

M. & fiat Linctus, utaturque frequenter cochleatim sensim lambendo: Si vero jam præsens fluxio in pulmonem irruat, & raucedinem, vel suffocationem inducat, non solum remediis ante dictis cohibenda erit, sed etiam revellenda per scarificationes, venæsectionem &c. Si quæ tamen per contraindicantia non prohibeantur. Loch sequens quoque in usum vocabitur.

℞. *Sem. alth.*
Melon.
Cucum.
Pap. alb. aa. ℥ij.
Pass. mund. N. vj.

Loquantur in ℔j. aq. in qua dissolv. *Conserv. rosar. & violarum aa.* ℥ß. *pulv. elat. diatragacanth. frigid.* ʒiij. *sacchari cand. & rosac. aa. q. s. fiat* Loch, fauces, & gutter præserventur sequenti gargarismate.

℞. *Fol. plantag. M*ij.
Flor. rosar. rubr.
Violar. aa. ℔j.
Balaustrior.
Sem. sumach. aa. ʒij.

Bulliant in aqua millefol. & florum querc. aa. ℔j. ad tertiæ partis consumptionem, in Collatura dissolvatur, *syrup. granator. moror. rosar. aa.* ℥ß. *nitri Cryst.* ʒß. *M. & F.* Gargarisma vel quod melius judico in patientibus tenellulis, principaliter, quæ gargarismata non admittunt, indetur illorum ori *butyri recentis cum saccharo albissimo* commixti parum, quod liquefactum sensim deglutiatur. Propinari quoque poterit Linctus, ex *syrup. violarum, rhæad. granator. de Rosis siccis aa.* ℥ß. *aquæ plantag.* ℥j. Quibus autem fluxio si cohiberi nequit, ob nimiam illius copiam, unde suffocationis periculum immineat, ea, quæ vias laxant, & excretionem juvant, usurpanda erunt in hunc modum:

℞. *Mucilag. sem. psyllii.*
Amygd. dulc. recent. aa. ℥iß.
Sacchar. albiss. ℥ij. *M. F.*

Linctus &c. Si ex fluxionis acrimonia, aut variolarum copia ulcus in faucibus genitum fuerit. *Aqua hordei cum melle rosaceo*, *vel aqua aluminosa* detergendum est: Inter partes externas, malo huic potissimum subjecta est facies, cui sæpissime relictis, vel maculis, vel Cicatricibus perennem, & ingratam sui memoriam imprimunt, pro quibus explanandis usurpata sunt a variis varia, sed irrito plerumque eventu, neque enim extergentibus, nec aliis ejusdem generis desideratus effectus facile respondet: quod si tamen aliquid tentandum palmam probabilius ante alia ferrent Emollientia, & attrahentia, ut foveæ se attollant, eaque ratione facies evadat plana. Oculi mirum quantum acerrimo variolarum malo infestantur, ita ut perpetuam sæpe lippitudinem, caliginem, albuginem, imo tristissimam cæcitatem efficiant; quibus ut mature via obstruatur, leniendi sunt, quamprimum pustulæ exoriuntur, frequentius *Croco*, & *aqua rosarum*, quibus commisceatur *succus centinodiæ*, & *bursæ pastoris depuratus*: Ubi uero in ipso oculo pustulæ suboriantur, crebra columbini sanguinis instillatione earum resolutio mature promovenda est: Si vero oculi intumescant, ut aperiri haud possint, sæpius abluendi sunt *decocto seminis lini*, *fænu græci*, *cydoniorum*, *malvæ*, quod pulso tumore efficiet, ut aperiantur.

XI. Fonte itaque pharmaceutico absoluto, nunc ad tertium fontem scilicet diæteticum pergemus, & illa, quæ ad patientis sanitatem spectent, paucis enumerabimus, nempe ut æger tranquillo sit animo, atque quantum fieri potest ab omni perturbatione alieno, si secus ex lege connexionis ipsam quoque Naturam perturbabit, quo minus sit apta ad valide exequendum munus suum; præprimis vero longissime arceantur timor, & ira: Hæc enim majori æstu sanguinem turbat, & inflammat, ille sanguinem pravum ad interiora retractum circa cor detinet: Præterea quoad aërem, hoc autem est observandum, ne peccemus in excessu, vel defectu, id est, ne patiens nimis calide foveatur, nam alias vires depauperentur, & non satis sufficientes essent ad materiam illam e corpore ejiciendam, unde aliquando oriretur suffocatio, multaque alia graviora symptomata: Quoad frigiditatem, neque etiam sit nimis vehemens, nam alias sanguis in motu suo impediretur, & sic patiens miserrime vitam cum morte mutaret: Quantum ad victum, ille pro acutorum morborum more, (inter quos variolæ numerandæ sunt) tenuis sit, præprimis morbi initio, quando natura cum ipsa noxia materia expellenda adhuc in conflictu

ctu eſt; ubi tamen illa rurſus, quam ante de calore monuimus, moderatio obſervanda, ne pariter ea tenuitate victus ipſæ quoque vires extenuentur: Abſtinendum autem eſt, ab ovis carnibus, cibis acribus, ſalſis, pinguibus, dulcibus, fructibus æſtivis, dandi moderate refrigerantes, & adſtringentes, partes internas roborantes, fervorem ſanguinis temperantes: Sed quid de lentibus ſentiendum, eas neotericorum aliqui, ut nocivas rejiciunt, quibus non cenſeo ſubſcribendum eſſe, quod contrarium ſuadeat prævalens authoritas, & ratio, ſua enim vi adſtringendi, & incraſſandi coercent nimium humorum fervorem, prohibentque impetum in partem nobiliorem: Quod ſi tamen ipſa materia noxia craſſa judicetur, & ſegniter eam natura expellat, minus apte illæ præſcriberentur, eadem enim ratio ante dicta, quæ earum ordinationem ſuadebat, nunc in caſu contrario, ex contrariorum regula id vetat: Pro potu vinum nondum eruptis exanthematibus prorſus non convenit, ſed ſubſtituenda vel tenuis cereviſia, vel decoctum de quo ſupra. Somnus toto morbi decurſu moderatus noxius autem eſt diuturnior, priuſquam puſtulæ in totum erumpant, tunc enim ſuadendæ potius vigiliæ ſolito longiores. Corpore æger aliquando quieſcere poteſt, ne calor nativus, qui in materiæ morbificæ expulſione eſt occupatus, nimirum diſſipetur. Alvus, qua ratione tractanda ſit, & ſeſe habeat, de ea in præcedentibus fuit actum: Atque ſic Diſputationi noſtræ Coronidem imponemus.

COROLLARIA.

I. *Uterus in gravidis tenuior fit, ſed non craſſior.*
II. *Infans in utero materno non reſpirat.*
III. *Febris quamvis calida, tamen non curanda per refrigerantia.*
IV. *Dulcia hyſtericis ſunt noxia.*
V. *Dantur Clyſteres nutrientes.*
VI. *Reſolventia in omnibus inflammationibus non ſunt applicanda.*

FINIS.

IN

LAUREAM MEDICAM

Viri Præſtantiſſimi & Doctiſſimi

JACOBI VANDER STRATEN,

Reſpexit noſtros vixdum Pax alma Penates,
  Vix & apud Belgas arma timenda ſilent,
Ecce ſalutiferas Comites Pax aurea monſtrat,
  Huic & Diva Salus, huic Hygieia comes.
Diva hæc pacificam conſpectat leniter urbem
  Trajecti, atque, locus ſit mihi ſanctus, ait,
Hicce ego perpetuas cupiam mihi figere ſedes,
  Hicce ſacerdotes, fiat & ara mihi!
Mox juvenes meritis præſtantes ſignat ocellis,
  Arte ex Pæonia qui ſibi ſacra parant:
Hos inter fulget, tanquam nova lumina Phœbes
  Æthere ceruleo ſidera cuncta fugant,
Artis Apollineæ non ultima gloria doctæ
  STRATENIUS, Medicam cuique daturus opem.
Ille, inquit, noſter merito de more Sacerdos
  Fiat, & ingenio floreat Ille ſuo.
Ergo & Apollinea nectuntur tempora lauro
  STRATENI, capiti gloria magna Tuo!
Trajectnm Juveni validi cunabula quondam
  Monſtravit ſtudii, doctaque dona dedit;
Addidit & poſt hæc doctiſſima plurima Jena;
  Trajectum tandem docta coronat opus.

A. REETS.